

- tabat opprobrium, si non Deum negasse sed hominem videretur.
- XXXIV. MELCHISEDECIANI, Melchisedec sacerdotem Dei excelsi, non hominem fuisse, sed virtutem Dei esse arbitrantur.
- XXXV. BARDESANISTÆ à quodam Bardesane, qui in doctrina Christi prius exstitisse perhibetur insignis: sed postea, quamvis non per omnia, in Valentini hæresim lapsus est.^a
- XXXVI. NOETIANI à quodam Noeto, qui dicebat Christum eundem ipsum esse Patrem & Spiritum sanctum.
- XXXVII. VALESII & se ipsos castrant, & hospites suos, hoc modo existimantes Deo se debere servire. Alia quoque hæretica docere dicuntur & turpia: sed quæ illa sint, nec ipse commemoravit Epiphanius, nec uspiam potui reperire.
- XXXVIII. ^b CATHARI, qui se ipsos isto nomine, quasi propter munditiam, superbissimè atque odiosissimè nominant, secundas nuptias non admittunt, pœnitentiam denegant, Novatum sectantes hæreticum: unde etiam Novatiani appellantur.
- XXXIX. ANGELICI, in Angelorum cultum inclinati, quos Epiphanius jam omninò defecisse testatur.
- XL. APOSTOLICI, qui se isto nomine arrogantissimè vocaverunt, eo quòd in suam communionem non reciperent utentes conjugibus & res proprias possidentes: quales habet Catho-

^a Post, *lapsus est*, adjecta erant in excusis verba hæc: *addens de suo, ut fato adscriberet conversationes hominum: quæ in MSS. nostris non reperimus.*

^b In MSS. *Catharoe sive Novatiani, qui se ipsos &c. Græcis sunt, Καθαροί.*

tholica^a & monachos, & clericos plurimos. Sed ideò isti hæretici sunt, quoniam se ab Ecclesia separantes, nullam spem putant eos habere, qui uruntur his rebus, quibus ipsi carent. Encratitis isti similes sunt: nam & * Apotactitæ appellantur. Sed & alia nescio quæ propria hæretica docere perhibentur.

SABELLIANI ab illo Noeto, quem supra memoravimus, defluxisse dicuntur; nam & discipulum ejus quidam perhibent fuisse Sabellium. Sed qua cæussa duas hæreses eas Epiphanius computet nescio: cum fieri potuisse videamus, ut fuerit Sabellius iste famosior, & ideò ex illo celebrius hæc hæresis nomen acceperit. Noetiani enim difficile ab aliquo sciuntur: Sabelliani autem sunt in ore multorum. Nam & Praxeanos eos à Praxea quidam vocant; & Hermogeniani vocari ab Hermogene potuerunt: qui Praxeas & Hermogenes eadem sentientes, in Africa fuisse dicuntur. Nec tamen istæ plures sectæ sunt; sed unius sectæ plura nomina, ex his hominibus qui in ea maximè innotuerunt: sicut Donatistæ, iidem Parmenianistæ, sicut Pelagiani, iidem Cælestiani. Unde ergo sit factum, ut Noetianos & Sabellianos, non unius hæresis duo nomina, sed tamquam duas hæreses supradictus Epiphanius poneret, liquidò invenire non potui: quia si quid inter se differunt, tam obscurè dixit, studio forsitan brevitatis, ut non intelligam. Loco quippè isto, quo & nos, tam longe à Noetianis Sabellianos commemorans, *Sabelliani*, inquit, *similia Noeto dogmatizantes, præter hoc quod dicunt Patrem non esse passum.* Quomodò de Sabellianis intelligi potest,

* *id est, Renuntiantes.*

XLI.

Epiph. in Anacephal.

^a In editis, *Catholica Ecclesia. Abest Ecclesia à MSS.*

test, cum sic innotuerint dicere Patrem passum, ut Patripassiani quàm Sabelliani crebrius nuncupentur? Aut si fortè in eo quod ait: *Præter hoc quod dicunt Patrem non esse passum*, Noetianos hoc dicere intelligi voluit, quis eos in hac ambiguitate discernat? Vel quomodo possunt intelligi quilibet eorum Patrem passum fuisse non dicere, cum dicant eundem ipsum esse & Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum? Philaster autem Brixianus episcopus in prolixissimo libro quem de hæresibus condidit, & CXXVIII. hæreses arbitratus est computandas, Sabellianos continuo post Noetianos ponens, *Sabellius*, inquit, *discipulus ejus, qui similitudinem sui doctoris itidem secutus est, unde & Sabelliani postea sunt appellati, qui & Patripassiani, & Praxeani à Praxea, & Hermogeniani ab Hermogene, qui fuerunt in Africa, qui & ita sentientes abjecti sunt ab Ecclesia catholica.* Certè iste eosdem postea Sabellianos dixit appellatos, qui ea quæ Noetus sentiebant; & alia nomina ejusdem sectæ commemoravit: & tamen Noetianos & Sabellianos sub duobus numeris tanquam duas hæreses posuit; qua causa ipse viderit.

XLII.

ORIGENIANI à quodam Origene dicti sunt, non a illo qui ferè omnibus notus est, sed ab alio nescio quo, de quo vel sectatoribus ejus Epiphanius loquens, *Origeniani*, inquit,

cu-

a Epiphanius in Panario quidem hæres. 63. & 64. apertè profitetur nescire se an Origeniani isti turpes ab Origene Adamantio dicti sint, an ab alio Origene; sed profectò in Anacephaleosi, quæ sola sine Panario venit in manus Augustini, de utriusque Origenianis sic dicit obscure, ut priores non ab eodem Origene Adamantio, sed ab alio profectos crederes.

cujusdam Origenis, a turpis autem sunt operationis, isti sunt b nefanda facientes, sua corpora corruptioni tradentes. Alios autem Origenianos continuo subjiciens:

ORIGENIANI, inquit, *alii, qui & Adamantii tractatoris, c qui & mortuorum resurrectionem repellunt: Christum autem creaturam & Spiritum sanctum introducentes: paradisum autem & celos & alia omnia allegorizantes.* Hæc quidem de Origene Epiphanius: sed qui eum defendunt, unius ejusdemque substantiæ esse, dicunt, docuisse, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: neque resurrectionem repulisse mortuorum: quamvis & in istis cum convincere studeant, qui ejus plura legerunt. Sed sunt hujus Origenis alia dogmata, quæ catholica Ecclesia omnino non recipit; in quibus nec ipsum falsò arguit, nec potest ab ejus defensoribus d falli: d maximè de purgatione & liberatione, ac rursus post longum tempus ad eadem mala revolutione rationalis universæ creaturæ. Quis enim catholicus christianus, vel doctus vel indoctus, non vehementer exhorreat, eam quam dicit purgationem malorum, id est, etiam eos qui hanc vitam in flagitiis & facinoribus & sacrilegiis atque impietatibus quàm libet maximis finierunt, ipsum etiam postremò diabolum

Tom. II.

HH

lum

a Lov. *Origenis discipuli.* Vox *discipuli* abest ab *Er.* & MSS. necnon à græco textu Epiphani.

b In MSS. *inenarrabilia facientes.* Græce est, ἀπύκρωτοι ὄντες.

c Editi, qui & Adamantii tractatoris illius sectatores qui & mortuorum resurrectionem negant: Christum autem & Spiritum sanctum creaturam dicunt; paradisum autem & celos & alia non credunt esse secundum litteram, sed in allegoria. Veteres autem libri pressius inhærent græco.

d Sic MSS. At editi, ab ejus defensoribus excusari.

XLIII.

c

lum atque angelos ejus, quamvis post longissima tempora, purgatos atque liberatos regno Dei lucique restitui, & rursus post longissima tempora omnes qui liberati sunt, ad hæc mala denuò relabi & reverti; & has vices alternantes beatitudinum & miseriarum rationalis creaturæ semper fuisse, semper fore? De qua vanissima impietate adversus philosophos, à quibus ista didicit Origenes, in * libro de Civitate Dei diligentissimè disputavi. ^a

* In libro
21.

XLIV.

^a PAULIANI à Paulo Samosateno, Christum non semper fuisse dicunt; sed ejus initium, ex quo de Maria natus est, aseverant: nec eum aliquid ampliùs quàm hominem putant. ^b Ista hæresis aliquandò cujusdam Artemonis fuit: sed cum defecisset, instaurata est à Paulo, & postea sic à Photino confirmata, ut Photiniani quàm Pauliani celebriùs nuncupentur. Istos sanè Paulianos baptizandos esse in Ecclesia catholica Nicæno concilio constitutum est. Unde credendum est eos regulam baptismatis non tenere, quam secum multi hæretici cum de Catholica discederent, abstulerunt, eamque custodiunt.

XLV.

PHOTINUS ab Epiphanio non continuò post Paulum sive cum Paulo, sed aliis interpositis ponitur. Non tacetur sanè similia credidisse: secundùm aliquid tamen adversatus ei dicitur; sed quid sit ipsum aliquid, omninò non dicitur. Philaster autem continuatim

^a Veterum codicum auctoritate removimus quod in excusis hic addebatur: *Dicit præterea ipse Origenes, quod Filius Dei sanctis hominibus comparatus, veritas sit; Patri collatus, mendacium: & quantum distant Apostoli Christo, tantum Filius Patri. Unde nec orandus est Filius cum Patre, quia non est auctor indulgentiarum petitionum, sed supplicator.*

^b In excusis, Artemont. At in MSS. Artemonis.

tim ponit ambos sub singulis & propriis numeris, quasi hæreses duas, cum dicat Photinum in omnibus Pauli secutum fuisse doctrinam.

MANICHÆI à quodam Persa exstiterunt, qui vocabatur Manes: quamvis & ipsum, cum ejus insana doctrina cœpisset ^a in Græcia prædicari, Manichæum discipuli ejus appellare maluerunt, devitantes nomen insanix. Unde quidam eorum quasi doctiores, & eo ipso mendaciores, geminata n littera, Mannichæum vocant, quasi manna fundentem. Iste duo principia inter se diversa & adversa, eademque æterna & coæterna, hoc est, semper fuisse, composuit: duasque naturas atque substantias, boni scilicet & mali, sequens alios antiquos hæreticos, opinatus est. Quarum inter se pugnam & commixtionem, & boni à malo gurgationem, & boni quod purgari non poterit, cum malo in æternum damnationem, secundùm sua dogmata aseverantes, multa fabulantur, quæ cuncta intexere huic Operi nimis longum est. Ex his autem suis fabulis vanis atque impiis coguntur dicere, animas bonas, quas censent ab animarum malarum, naturæ scilicet contrariæ, commixtione liberandas, ejus cujus Deus est esse naturæ. Proinde mundum à natura boni, hoc est, à natura Dei factum, confitentur quidem, sed de commixtione boni & mali, quæ facta est, quando inter se utraque natura pugnavit. Ipsam verò boni à malo purgationem ac libe-

XLVI.

a

HH 2

ra.

^a Sic omnino ferunt MSS. At editi, *cœpisset nomen prædicari: nam ante hæc Urbicus (imò Cubricus, ex Epiphanio hæ. 66.) vocabatur. Sed in Græcia discipuli ejus vitantes nomen insanix, quasi doctiores, & eo ipso mendaciores, geminata n littera, Mannichæum, quasi manna fundentem, pro Manichæo, id est, insano, appellaverunt. Iste duo principia &c.*

rationem, non solum per totum mundum, & de omnibus ejus elementis a virtutes Dei facere dicunt, verum etiam Electos suos per alimenta quæ sumunt. Et eis quippè alimentis, sicut universo mundo, Dei substantiam perhibent esse commixtam: quam purgari putant in Electis suis eo genere vitæ, quo vivunt Electi manichæorum, velut sanctius & excellentius Auditoribus suis. Nam his duabus professionibus, hoc est, Electorum & Auditorum, ecclesiam suam constare voluerunt. In ceteris autem hominibus, etiam in ipsis Auditoribus suis, hanc partem bonæ divinæque substantiæ quæ mixta & colligata in escis & potibus detinetur, maximeque in eis qui generant filios, artius & inquinatius colligari putant. Quidquid verò undique purgatur luminis, per quasdam naves, quas esse lunam & solem volunt, regno Dei, tamquam propriis sedibus reddi. Quas itidem naves de substantia Dei pura perhibent fabricatas. Lucemque istam corpoream animantium mortalium oculis adjacentem, non solum in his navibus, ubi eam purissimam credunt, verum etiam in aliis quibusque lucidis rebus, ubi secundum ipsos tenetur admixta, crediturque purganda, Dei dicunt esse naturam. Quinque enim elementa quæ genuerunt principes proprios, genti tribuunt tenebrarum: eaque elementa his nominibus nuncupant, fumum, tenebras, ignem, aquam, ventum. In fumo nata anima-

a Editi, *virtutem Dei*. Melius MSS. *virtutes Dei*: quas almirum intra manichæi dicunt esse in sole & luna, tamquam in duabus navibus *sanctas virtutes*. Concordat in Augustini exemplari vetus ille de hæresibus liber, quem indito nomine Prædestinati publicavit Jacobus Sirmundus; qui tamen hoc loco *virtutem Dei* edidit.

malia bipedia, unde homines ducere originem censent; in tenebris serpentina, in igne quadrupedia, in aquis natatilia, in vento volatilia. His quinque elementis malis debellandis alia quinque elementa de regno & substantia Dei missa esse, & in illa pugna fuisse permixta; fumo aera, tenebris lucem, igni malo ignem bonum, aquæ malæ aquam bonam, vento malo ventum bonum. Naves autem illas, id est, duo cæli luminaria, ita distinguunt, ut lunam dicant factam ex bona aqua, solem verò ex igne bono. Esse autem in eis navibus sanctas virtutes, quæ se in masculos transfigurant, ut illiciant feminas gentis adversæ, a & rursus in feminas, ut illiciant illecebram commota eorum concupiscentia fingat de illis lumen, quod membris suis permixtum tenebant, & purgandum suscipiatur ab angelis lucis, purgatumque illis navibus imponatur ad regna propria reportandum. Quocumque occasione, vel potius execrabilis superstitionis quadam necessitate, coguntur Electi eorum velut eucharistiam conspersam cum semine humano sumere, ut etiam inde, sicut de aliis cibis quos accipiunt, substantia illa divina purgetur. Sed hoc se facere negant, & alios nescio quos sub nomine manichæorum facere affirmant. Detecti sunt tamen in ecclesia, sicut scis, apud Carthaginem, jam te ibi diacono constituto, quando instante Urso tribuno, qui tunc domui regiæ præfuit, aliqui adducti sunt: ubi puella nomine Margarita istam nefariam turpitudinem prodidit, quæ cum

Vide Possid. in vita Aug. cap. 16.

HH 3 es-

a Hæc pars sententiæ restituitur ex MSS. V. lib. de Nat. boni c. 44.

a esset annorum nondum duodecim, propter hoc scelestum mysterium se dicebat esse vitiatam. Tunc Eusebiam quamdam manichæam quasi sanctimoniam, id ipsum propter hoc ipsum passam, vix compulsi confiteri, cum primò illa se asseruisset integram, atque ab obstetrice inspicere postulasset: quæ inspecta, & quid esset inventa, totum illud turpissimum scelus, ubi ad excipiendum & commiscendum concumbentium semen farina substernitur (quod Margarita indicante absens non audierat) similiter indicavit. Et recenti tempore nonnulli eorum reperti, & ad ecclesiam ducti, sicut Gesta episcopalia quæ nobis misistis ostendunt, hoc non sacramentum, sed exsacramentum, sub diligenti interrogatione confessi sunt: quorum unus nomine Viator, eos b qui ista faciunt propriè Catharistas vocari dicens, cum alias ejusdem Manichææ sectæ partes in c Mattarios, & specialiter manichæos, distribui perhiberet, omnes tamen has tres formas ab uno auctore propagatas, & omnes generaliter Manichæos esse, negare non potuit. Et certè illi libri Manichæi sunt omnibus sine dubitatione communes, in quibus libris illa portenta ad illiciendos & per concupiscentiam dissolvendos utriusque sexus principes tenebrarum, ut liberata fugiat ab eis, quæ captivata tenebatur in eis divina substantia, de masculorum in feminas, & feminarum

a Sic MSS. Editi autem habent, *violatum.*

b Hic editi addunt, *id est, mundatores vel purgatores.*

c Editi, in *Macarios*: quod erratum secutus est Sirmondus in suo *Prædestinato*: quamquam Augiense ejusdem *Prædestinati* exemplar præfert, *Mattarios*. Sic vero habent hic etiam Augustini MSS. omnes. Nempe, quia in *matris dormiunt*, *Mattarii* appellantur, ex lib. 5. contra Faust. cap. 5.

rum in masculos transfiguratione conscripta sunt, undè ista a quam quilibet eorum negant ad se pertinere, turpitudine defluxit. Divinas enim virtutes, quantum possunt, imitari se putant, ut purgent Dei sui partem: quam profectò, sicut in omnibus corporibus cælestibus & terrestribus, atque in omnium rerum seminibus, ita & in hominis semine teneri existimant inquinatam. Ac per hoc sequitur, eos ut sic eam etiam de semine humano, quemadmodum de aliis seminibus quæ in alimentis sumunt, debeant manducando purgare. Undè etiam Catharistæ appellantur, quasi purgatores, tanta eam purgantes diligentia, ut se nec ab hac tam horrenda cibi turpitudine abstineant. Nec vescuntur tamen carnibus, tamquam de mortuis vel occisis fugerit divina substantia, tantumque ac tale inde remanserit, quod jam dignum non sit in Electorum ventre purgari. Nec ova saltem sumunt, quasi & ipsa cum franguntur expirent, nec oporteat b ullis mortuis corporibus vesci, & hoc solum vivat ex carne, quod farina ne moriatur, excipitur. Sed nec alimonia lactis utuntur, quamvis de corpore animantis vivente mulgeatur sive sugatur: non quia putant divinæ substantiæ nihil ibi esse permixtum, sed quia sibi error ipse non constat. Nam & vinum non bibunt, dicentes fel esse principum tenebrarum; cum vescantur uvis: nec musti aliquid, vel recentissimi, sorbent. Animas Auditorum suorum in Electos revolvi arbitrantur, aut feliciore compendio in escas Electorum suorum, ut jam

HH 4

a Ita Vaticani duo MSS. At editi, unde ista eorum, quamlibet negant &c.

b Aliquot MSS. illis mortuis.

jam inde purgata in nulla corpora revertantur. Ceteras autem animas & in pecora redire putant, & ^a in omnia quæ radicibus fixa sunt atque aluntur in terra. Herbas enim atque arbores sic putant vivere, ut vitam quæ illis inest, & sentire credant, & dolere, cum ^b læduntur: nec aliquid inde sine cruciatu eorum quemquam posse vellere aut carpere. Propter quod agrum etiam spinis purgare nefas habent. Unde agriculturam, quæ omnium artium est innocentissima, tamquam plurium homicidiorum ream dementer accusant: suisque Auditoribus ideò hæc arbitrantur ignosci, quia præbent inde alimenta Electis suis; ut divina illa substantia in eorum ventre purgata, impetret eis veniam, quorum traditur oblatione purganda. Itaque ipsi Electi, nihil in agris operantes, nec poma carpentes, nec saltem folia ulla vellentes, expectant hæc afferri usibus suis ab Auditoribus suis, viventes de tot ac tantis secundum suam vanitatem homicidiis alienis. Monent etiam eosdem Auditores suos, ut si vescuntur carnibus, animalia non occidant, ne offendant principes tenebrarum in caelestibus colligatos, à quibus omnem carnem dicunt originem ducere: & si utuntur conjugibus, conceptum tamen generationemque devitent, ne divina substantia quæ in eos per alimenta ingreditur, vinculis carnis ligetur in prole. Sic quippè in omnem carnem, id est, per escas & potus venire animas credunt. Unde nuptias sine dubitatione condemnant, & quantum in ipsis est, prohibent, quando generare pro-

^a Sola editio Lov. & omnia, omisso in.

^b In MSS. cum læditur.

prohibent, propter quod conjugia copulanda sunt. Adam & Evam ex parentibus principibus fumi asserunt natos, cum pater eorum nomine Saclas sociorum suorum fetus omnium devorasset, & quidquid inde commixtum divinæ substantiæ ceperat, cum uxore concumbens in carne prolis tamquam tenacissimo vinculo colligasset. Christum autem fuisse affirmant, quem dicit nostra Scriptura serpentem, à quo illuminatos asserunt, ut cognitionis oculos aperirent, & bonum malumque dignoscerent: eumque Christum novissimis temporibus venisse ad animas, non ad corpora liberanda. Nec fuisse in carne vera, sed simulatam speciem carnis ludificandis humanis sensibus præbuisse, ubi non solum mortem, verum etiam resurrectionem similiter mentiretur. Deum qui Legem per Moysen dedit, & in hebræis Prophetis locutus est, non esse verum Deum, sed unum ex principibus tenebrarum. Ipsiusque Testamenti novi Scripturas tamquam infalsatas ita legunt, ut quod volunt inde accipiant, quod nolunt rejiciant, eisque tamquam ^a totum verum habentes nonnullas apocryphas anteponant. Promissionem Domini Jesu Christi de paraclito Spiritu sancto in suo hæresiarcha Manichæo dicunt esse completam. Undè se in suis litteris, Jesu Christi apostolum dicit, eo quod Jesus Christus se missurum esse promiserit, atque in illo miserit Spiritum sanctum. Propter quod etiam ipse Manichæus duodecim discipulos habuit, ad instar apostolici numeri, quem numerum manichæi hodieque custodiunt. Nam ex Elec-

Joan. 16.

7.

^a

^a Sic veteres MSS. At editi, eisque tamquam non totum verum habentibus nonnullas &c.

tis suis habent duodecim, quos appellant magistros, & tertiumdecimum principem ipsorum: episcopos autem septuaginta duos, qui ordinantur à magistris; & presbyteros, qui ordinantur ab episcopis. Habent etiam episcopi diaconos. Jam ceteri tantummodo Electi vocantur: sed mittuntur etiam ipsi qui videntur idonei, ad hunc errorem vel ubi est, sustentandum & augendum, vel ubi non est, etiam seminandum. Baptismum in aqua nihil cuiquam perhibent salutis afferre: nec quemquam eorum quos decipiunt, baptizandum putant. Orationes faciunt ad solem per diem, quaqua versus circuit; ad lunam per noctem, si apparet; si autem non apparet, ad aquiloniam partem, qua sol cum occiderit ad orientem revertitur, stant orantes. Peccatorum originem non libero arbitrio voluntatis, sed substantiæ tribuunt gentis adversæ: quam dogmatizantes esse hominibus mixtam, omnem carnem non Dei, sed malæ mentis perhibent esse opificium, quæ à contrario principio Deo coæterna est. Carnalem concupiscentiam, qua caro concupiscit adversus spiritum, non ex vitiosa in primo homine natura nobis inesse infirmitatem, sed substantiam volunt esse contrariam, sic nobis adhærentem, ut quando liberamur atque purgamur, separatur à nobis, & in sua natura etiam ipsa immortaliter vivat: easque duas animas, vel duas mentes, unam bonam, alteram malam, in uno homine inter se habere conflictum, quando caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem. Nec in nobis sanatum hoc vitium, sicuti nos dicimus, numquam futurum: sed à nobis sejunctam atque seclusam substantiam istam mali, & finito

Gal. 5. 17.

isto sæculo post conflagrationem mundi, in globo quodam, tamquam in carcere sempiterno, esse victuram. Cui globo affirmant accessurum semper & adhæsurum quasi cooperitorium atque tectorium ex animabus, natura quidem bonis, sed tamen quæ non potuerint à natura malæ contagione mundari.

^a HIERACITÆ, quorum auctor Hieraca nuncupatur, resurrectionem carnis negant, monachos tantum & monachas, & conjugia non habentes in communionem recipiunt. Ad regnum cælorum non pertinere parvulos dicunt, quia non sunt eis ulla merita certaminis, quo vitia ^b superantur.

XLVII.

^a

^b MELETIANI à Meletio nuncupati, nolentes orare cum conversis, id est, eis qui in persecutione ceciderunt, ^c schisma fecerunt. Nunc autem dicuntur Arianis esse conjuncti.

XLVIII.

^c ARIANI ab Ario, in eo sunt notissimi errore, quo Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum nolunt esse unius ejusdemque naturæ atque substantiæ, aut ut expressius dicatur, essentiæ, quæ *ὁὐρία* græcè appellatur: sed esse Filium creaturam; Spiritum verò sanctum creaturam creaturæ, hoc est, ab ipso Filio creatum volunt. In eo autem quod Christum sine anima solam carnem suscepisse arbitrantur, minus noti sunt: nec adversus eos ab aliquo inveni de hac re aliquandò fuisse certatum. Sed hoc verum esse, & Epiphanius non tacuit, & ego ex eorum quibusdam scrip-

XLIX.

^a Editi, *Hierachita*. At MSS. absque adspiratione in quarta syllaba, *Hieracita*, græci, *ἱεραχίται*.

^b Sic MSS. At Lov. *separentur*. Er. *superentur*.

^c Apud Lov. *vel schisma fecerunt*. Abest *vel* ab Er. & à MSS.

scriptis & collocutionibus certissimè compe-
ri. Rebaptizari quoque ab his catholicos no-
vimus, utrum & non catholicos, nescio.

L. a VADIANOS, quos appellat Epipha-
nius, & schismaticos, non hæreticos vult
videri; alii vocant Anthropomorphitas, quo-
niam Deum sibi fingunt cogitatione carnali in
similitudinem hominis corruptibilis: quod rus-
ticitati eorum tribuit Epiphanius, parcens eis
ne dicantur hæretici. Eos autem separasse se,
dicit, à communione nostra, culpando epis-
copos divites, & pascha cum judæis cele-
brando. Quamvis sint qui eos in Ægypto
Ecclesiæ catholicæ communicare asseverent.
De Photinianis autem, quos isto loco Epipha-
nius commemorat, jam superius satis locu-
tus sum.

LI. SEMIARIANOS Epiphanius dicit, qui *
similis essentiæ dicunt Filium, tamquam non
plenos Arianos: quasi Ariani nec similem ve-
lint; cum hoc Eunomiani dicere celebrentur.

LII. b MACEDONIANI sunt à Macedonio b,
quos & πνευματομάχης græci dicunt, eo quod
de Spiritu sancto litigent. Nam de Patre, & Fi-
lio rectè sentiunt, quod unius sint ejusdem-
que substantiæ vel essentiæ: sed de Spiritu
sancto hoc nolunt credere, creaturam enim
esse dicentes. Hos potius quidam Semiarianos
vocant, quòd in hac quæstione ex parte cum
illis sint, ex parte nobiscum. Quamvis à non-

a Floriacensis codex hoc tantum loco habebat, *Adia-
nos*; nam supra in indiculo operi præfixo cum ceteris MSS.
præfert, *Vadianos*. Prædestinatus in Augiensi codice, *Val-
dianos* constanter vocat, iis duobus locis, quibus Sirmon-
des, *Audianos* edidit. Græcis re vera dicuntur *A'udiaris*.

b Editi addunt, *Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episco-
po*: quod à MSS. abest.

nullis perhibeantur non Deum, sed deitatem
Patris, & Filii dicere Spiritum sanctum, &
nullam propriam habere substantiam.

AERIANI ab Aerio quodam sunt, qui LIII.
cum esset presbyter, doluisse fertur quod
episcopus non potuit ordinari; & in Ariano-
rum hæresim lapsus, propria quoque dog-
mata addidisse nonnulla, dicens, a offerri pro
dormientibus non oportere: nec statuta sol-
lemniter celebranda esse jejunia, sed cum
quisque voluerit jejunandum, ne videatur
esse sub lege. Dicebat etiam presbyterum ab
episcopo nulla differentia debere discerni. Qui-
dam perhibent istos, sicut Encratitas, vel
Apotactitas, non admittere ad communio-
nem suam nisi continentes, & eos qui sæcu-
lo ita renuntiaverint, ut propria nulla pos-
sideant. Ab esca tamen carniū non eos abs-
tinere dicit Epiphanius: Philaster verò & hanc
eis tribuit abstinentiam.

AETIANI ab Aetio sunt vocati, iidem- LIV.
que Eunomiani ab Eunomio Aetii discipulo,
quo nomine magis innotuerunt. Eunomius
quippe in dialectica prævalens, acutiùs & ce-
lebriùs defendit hanc hæresim, dissimilem per
omnia Patri asserens Filium, & Filio Spiri-
tum sanctum. Fertur etiam usque adeo fuisse
bonis moribus inimicus, ut asseveraret, quòd
nihil cuique obsesset quorumlibet perpetratio
ac perseverantia peccatorum, si hujus quæ ab
illo docebatur fidei particeps esset.

APOLLINARISTAS Apollinaris instituit, LV.
qui de anima Christi à Catholica dissenserunt,
dicentes, sicut Ariani, Deum Christum car-
nem

a Sic MSS. At editi, *dicens, orare, vel offerre pro
mortuis oblationem non oportere.*

non sine anima suscepisse. In qua quæstione testimoniis evangelicis victi, mentem, qua rationalis est anima hominis, defuisse animæ Christi, sed pro hac ipsum Verbum in eo fuisse dixerunt. De ipsa verò ejus carne sic à recta fide dissensisse perhibentur, ut dicerent carnem illam & Verbum unius ejusdemque substantiæ, contentiosissimè asseverantes, Verbum carnem factum, hoc est, Verbi aliquid in carnem fuisse conversum atque mutatum, non autem carnem de Mariæ carne fuisse susceptam.

LVI. ^a ANTIDICOMARITÆ appellati sunt hæretici, qui Mariæ virginitati usque adeo contradicunt, ut affirmant eam post Christum natum viro suo fuisse commixtam.

LVII. ^b Postremam ponit Epiphanius ^b MASSALIANORUM hæresim: quod nomen ex lingua syra est. Græcè autem dicuntur *Εὐχρίται*, ab orando sic appellati. Tantum enim orant, ut eis qui hoc de illis audiunt, incredibile videatur. Nam cum Dominus dixerit: *Oportet semper orare, & non deficere*; & Apostolus: *Sine intermissione orate*; quod sanissimè sic accipitur, ut nullo die intermittantur certa tempora orandi: isti ita nimis hoc faciunt, ut hinc judicarentur inter hæreticos nominandi. Quamvis nonnulli eos dicant, de purgatione animarum nescio ^c quam phantasticam & ridiculam fabulam narrare, porciam sci-

^a Editi, *Antidicomarianitæ*: secundum græcos. Omnes verò hic latini MSS. *Antidicomaritæ*.

^b Editi, *Psalitanorum*. At MSS. plerique, *Massalianorum*. Pauciores, *Masslianorum*: qui tamen *Massalianos* & ipsi habent in indiculo ante præfationem. Concordant græci scriptores.

^c MSS. *nescio qua fantastica, & ridicule fabulosa narrare*.

scilicet cum porcellis videri exire de ore hominis quando purgatur, & in eum visibili similiter specie ignem, qui non comburat, intrare. His adjungit Epiphanius Euphemitas, Martyrianos, & ^a Satanianos, & hos omnes cum illis tamquam unam hæresim ponit. Dicuntur Euchitæ opinari, monachis non licere sustentandæ vitæ suæ causa aliquid operari, atque ita se ipsos monachos profiteri, ut omninò ab operibus vacent.

Usque ad istos ergo de Hæresibus opus suum perduxit supradictus Episcopus cyprius, apud græcos inter magnos habitus, & à multis in catholicæ fidei sanitate laudatus. Cujus ego in commemorandis hæreticis non modum, sed ordinem sum secutus. Nam & aliqua ex aliis posui quæ ipse non posuit, & aliqua non posui quæ ipse posuit: itaque alia latius quàm ipse, alia etiam brevius explicavi, paremque in nonnullis exhibui brevitatem, omnia moderans sicut intentionis meæ ratio postulabat. Proinde ille de octoginta hæresibus, separatis viginti, quas ante Domini adventum exitisse, sicut ei visum est, computavit, reliquas post Domini adscensum natas sexaginta, brevissimis libris quinque comprehendit, atque omnes ^b sex libros totius ejusdem sui operis fecit. Ego autem, quia secundum petitionem tuam eas hæreses memorare institui, quæ post glorificationem Christi se adversus doctrinam Christi, etiam sub velamine christiani nominis extulerunt, quinque

^a In impressis, *Satamanos*, eorum vitio qui ediderunt: nam MSS. omnes ferunt, *Satanianos*.

^b Editi, *in sex libros totius ejusdem sui operis fecit concludi*. MSS. verò nec habent particulam *in*, nec verbum *concludi*.

quaginta septem ex Epiphaniï ipsius operè in meum transtuli, duas in unam referens, ubi nullam differentiam potui reperire: & rursus ubi ille ex duabus unam facere voluit, sub numeris suis singulas posui. Sed adhuc commemorare debeo, sive quas apud alios reperi, sive quas ipse reminiscor. Nunc ergo addo quas Philaster posuit, nec posuit Epiphanius.

LVIII.

METANGISMONITÆ dici possunt, qui Metangismon asserunt, dicentes sic esse in Patre Filium, quomodo vas in vase, quasi duo corpora carnaliter opinantes; ita ut Filius intret in Patrem, tamquam vas minus in vas majus. Unde & tale nomen hic error accepit, ut μεταγγισμός græcè diceretur: ἀγγείον quippe illa lingua vas dicitur: sed introitus unius vasis in alterum, latinè uno nomine non potest dici, sicut græcè potuit μεταγγισμός.

LIX.

SELEUCIANI sunt, vel Hermiani ab auctoribus Seleuco, vel Hermia, qui elementorum materiam de qua factus est mundus, non à Deo factam dicunt, sed Deo coæternam. Nec animam Deo tribuunt creatori, sed creatores esse animarum Angelos volunt de igne & spiritu. Malum autem asserunt esse aliquando à Deo, aliquando à materia. Negant Salvatorem in carne sedere ad dexteram Patris, sed ea se exuisse perhibent, eamque in sole posuisse, accipientes occasionem de Psalmo, ubi legitur: *In sole posuit tabernaculum suum*. Negant etiam visibilem paradisum. Baptismum in aqua non accipiunt. Resurrectionem non putant futuram, sed quotidie fieri in generatione filiorum.

*Psal. 18.
6.*

LX.

PROCLIANITÆ secuti sunt istos, & ad

addiderunt Christum non in carne venisse.

PATRICIANI à Patricio nuncupati, substantiam carnis humanæ non à Deo, sed à diabolo conditam dicunt: eamque sic fugiendam & detestandam putant, ut quidam eorum perhibeantur etiam morte sibi illata carere carne voluisse.

ASCITÆ ab utre appellati sunt: ἀσκός enim græcè, latinè uter dicitur: quem perhibentur inflatum & opertum circumire bacchantes, tanquam ipsi sint evangelici utres novi novo vino repleti.

PASSALORYNCHITÆ in tantum silentio student, ut naribus & labiis suis digitum opponant, ne vel ipsam taciturnitatem voce præripiant, quando tacendum sibi esse arbitrantur; unde etiam illis est nomen inditum: πάσσαλος enim græcè dicitur palus; & ῥύγχος nasus. Cur autem per palum digitum significare maluerint, à quibus hoc nomen compositum est, nescio: cum græcè & dicatur digitus δάκτυλος, & possint utique Dactylorynchitæ multò evidentius nuncupari.

AQUARII ex hoc appellati sunt, quod aquam offerunt in poculo Sacramenti, non illud quod omnis Ecclesia.

COLUTHIANI à quodam Colutho, qui dicebat Deum non facere mala; contra illud quod scriptum est: *Ego Deus creans mala*.

FLORINIANI à Florino, qui è contrario dicebat Deum creasse mala, contra id quod scriptum est: *Fecit Deus omnia, & ecce bona valde*. Ac per hoc quamvis contraria inter se dicentes, tamen ambo divinis eloquiis resistebant. Creat enim Deus mala, poenas justissimas irrogando, quod Coluthus non vi-

TOM. II.

II

de-